Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0001-4

Ec. 2a.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0002-9

G 13768

SEPTEM PSALMI, QVOS POENITENTIALES uocant, In uerſiculos coniecti.

AVTORE IOAN. Spangenbergo.

LIPSIAE
M. D. XLI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0003-5

AD LECTOREM.

Heus deflere tuos qui uis ex corde reatus,
Audiat omnipotens & tua uota deus.
Huc ades his pſalmis poteris placare tonantem,
Vt tibi det rutili regna beata poli.

PIO ATQVE ERVDITO VIRO M. IOANNI

Neandro, Iuuentutis Northuſianæ formatori egregio, amico ſuo optimo, Salutem.

ADornaui ante triennium librum hymnorum, doctiſsime Neander, quem tuæ eruditioni dedicaui, & typographo excudendum dedi, ſed neſcio quo fato libellus per incuriam perijt. Vereor ne inter chartaceam ſupellectilem carie et pulueribus reſperſus, à blattis ac tineis ferè ſit abſumptus. Sed ne perpetua te amicũ optimum expectatione fruſtrer, ante hoc æſtiuum ſolſtitium, ſeptem pſalmos, ut uocant, pœnitentiales in uerſus à me coniectos ſeorſim collegi, ac tibi homini doctiſsimo dedicare decreui, ut habeas, quaſi preguſtum aliquem totius operis, cuius tu perpetuus es ſpectator, quo poſt ſeria tua ſtu-

dia animum quaſi oblectamento aliquo recrees. Tu igitur hanc meam operam æqui boniq; conſule, quam ſi uidero tibi placuiſſe, dabis fortaſſis anſam, ut maiora poſthac tibi ſim dedicaturus. Vale, & ut ſoles, ſtrennue tuo officio fungere. Northuſiæ, M. D. XLI. Nonis Iulij.

Ioannes Spangenbergus.

SEPTEM PSALMI,

QVOS POENITENTIALES, VOCANT,

in uerſiculos coniecti.

PSALMVS PRIMVS.

DOMINE NE IN furore tuo.

Sit licet ira grauis non me deus argue ſontem.
Quin potius uitæ tu miſerere meæ.
Mens infirma iacet, ſunt oſſa retuſa pauore,
Sed tu diue parens quando erit ulla ſalus?
Huc ades, adfer opem, placido me reſpice uultu,
Nomen inexhauſtæ qui pietatis habes.
Non tua ſub terris celebrabit facta ſepultus,
Quis tibi in inferno uota preceſq; canet?
Tabeſco gemitu, & lachrymis noctesq; diesq;
Fletibus aſſiduis triſtia ſtrata madent.
Eſte procul peſtes hominum, furioſaq; turba,
Nam pius exaudit uota preceſq; Deus.
Confeſtim fiant inſani fabula uulgi,
Inſidias animæ qui poſuere meæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0007-7

Psal: 31.

PSALMVS SECVNDVS.

BEATI QVORVM RE-
miſſæ ſunt.

Felices quorum Deus hic peccata remittit,
Et quorũ ante deũ crimina cuncta manet.
Felix cui dominus facinus non Imputat ullum
In quo nil falſi nil quoq; fraudis erat.
Diſperij quoties commiſſa tacere uolebam,
Fletibus aſsiduis lumina mœſta madent.
Nocte dieq; fuit tua dextera, dura, grauisq;
Nullus & in toto corpore ſuccus erat.
Quare confiteor mea nunc delicta tonanti,
Et quod peccaui non mea lingua tegat.
Hæc ego dum mecum tacitus uoluo atq; reuoluo,
Tu pius indulgens abluis omne ſcelus.
Hinc tibi certa canent ſancti pro tempore uota,
Nulla his tempeſtas, nulla nocebit aqua.
Tu mihi confugium, clypeus, munimen, aſylum,
Hinc tibi ſeruatus uota precesq; canam.
Ipſe ego te erudiam, te ducam & dirigam ocellis,
Cuncta ut pro uoto ſtentq; cadentq; tuo.
Nolite heus ſimiles mulis fieri atq; caballis,
Corpore qui toto nil rationis habent.
Quos conſtringere habes frænis, duriſq; lupatis,
Cum tua noluerint congrua iuſſa ſequi.

Multa

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0008-3

Multa flagella manent peccantes, triſtia multa,
Sperantem bonitas ſeruat alitq; Dei.
In domino exultate pij, gaudete fideles,
Et recti ſummum glorificate Deum.

PSALMVS TERTIVS.

DOMINE NE IN FVRORE TVO.

IRa licet iuſta eſt, non me deus opprime ſontem.
Namq; arcu & telis me tua dextra premit.
Nulla ſalus in carne mea eſt ſub uindice tanto,
Nec pax ægrotis oſſibus ulla meis.
Crimina namq; meum caput ut graue pondus acer-(bant.
Et putrent uitio uulnera facta meo.
Incuruus gradior, curis premor, omnia mœſta,
Nulla quies toto corpore, nulla ſalus.
Sum miſer, & gemitu cordis conſumor acerbo.
Tu lachrymas noſti, tu mea uota Deus.
Cor tremit, omnis abeſt uirtus, ſine lumine uiuo,
Me uoti & chari deſeruere mei.
Vim fecere mihi, fraudesq; dolosq; miniſtrant
Qui me crudeli perdere morte uolunt.
Ipſe autem tanquam ſurdus nihil auribus hauſi,
Auſus nulla meo gutture uerba loqui.
Tu ſpes certa Deus, tu ſuſcipis aure precatus,
Ne forte exultent dum premor hoſte, caue.

Namq; ego ad interitum mortẽq; crucẽq; paratus,
Me dolor & curæ nocte dieq; premunt.
Confitear ſcelus omne meum, & delicta fatebor,
Qui me odiunt hoſtes (maxima turba) ualent.
Pro pietate malum, qui pro pace arma rependunt,
Hi mihi detrectant dum ſequor ipſe bonum.
Tu mihi adeſto Deus, tu ne diſceſſeris à me,
Quin potius facilem tu pius adfer opem.

PSALMVS QVARTVS.

MISERERE MEI DEVS.

SVmme parens cuius bonitas narratur ubiq;,
Peccantis quæſo tu miſerere mei,
Et quantum pius es, tantum mea crimina dele,
Pro bonitate tua dilue iniqua Deus.
Namq; ſcelus cognoſco meum fateorq; reatum,
Quæq; premunt animum nocte dieq; meum.
Te ſolum fateor pater ô iuſtiſsime læſi,
Te coram admiſi mille nefanda Deus.
Vt uerus maneas uel iniquo iudice uictor,
Cunctaq; mortales ut tua dicta probent.
Ecce ego conceptus ſum primi in labe parentis,
Prohdolor in toto eſt corpore nulla ſalus.
En tibi uera placent cælas quæ ſemper iniquos,
Participem uerbi me facis eſſe tui.

Tu

Tu Deus hyſſopo me aſperge, et mundus abibo,
Candidior fiam lotus in amne niue.
Mitte per auditus genitor noua gaudia noſtros,
Contrita exultent oſſa uigore nouo.
Heus auerte tuos humano à crimine uultus,
Et tua nunc pietas abluat omne nefas.
Cor mihi da mundum, mea uiſcera ſpiritus intret,
Da mihi da faciem poſſe uidere tuam.
Lætitiam tu redde mihi ueramq; ſalutem,
Et mea diuino pneumate corda foue.
Ipſe tuas monſtrabo uias prauis & iniquis,
Vt tollant puras ad tua ſancta manus.
Me rape de cœtu quem polluit unda cruoris,
Iuſtitiam extollet tunc mea lingua tuam.
Te precor altitonans genitor mea labra reſolue
Vt poſſim laudis nuncius eſſe tuæ.
Nulla placent holocauſta tibi rituſq; uetuſti,
Vis humiles animos tritaq; corda Deus.
Fac pius ædifices muros & tecta Sionis,
Imponent aris tunc holocauſta tuis.

PSALMVS QVINTVS.

DOMINE EXAVDI orationem.

Exaudi omnipotẽs mea uota meoſq; precatus,
Clamores ueniant in tua ſancta mei.

Non auerte tuos à me pater optime uultus,
Adſis cum tribulor gratior ipſe mihi.
In quacunq; die cum te pulſauero uotis,
Tu ſupplex fuſas accipe quæſo preces.
Vt fumus tenues leuis euaneſcit in auras,
In mœrore dies ſic abiere mei.
Arida torris uti facili comburentur igne,
Sic mea languiduli corporis oſſa iacent.
Aret ut apricum feruenti gramen ab æſtu,
Arent neglecto ſic mea corda cibo.
A fletu & gemitu caro uix ægra oßibus hæret,
Corporis & titubant omnia membra mei.
Inſtar Onocrotali deſerta per inuia uixi,
AEdibus in proprijs Palladis ales eram.
Per totas uigilo noctes mœrensq; gemensq;,
Anxia ut in tecti culmine mœret auis.
Quottidie inſurgunt in me crudeliter hoſtes,
Iurant, conſpurcant, me ſine fine premunt.
Panis erant cineres, miſcebam pocula fletu,
Dum mihi ſuccenſes eſt mihi uita grauis.
Vt leuis umbra fugit, mea ſic breuis auolat ætas,
Gramen ut herboſum ſic mea uita perit.
Tu uerò es Deus æternos manſurus in annos,
Durabit nomen ſecula mille tuum.
Surge parens, mundi factor, miſerere Sionis,
Surge inquam, tempus iam pietatis adeſt.

Nam

Nam placuere tuis conſtructa palatia ſeruis,
Vt nomen timeant omnia regna tuum.
AEdificat dominus pulcherrima tecta Sionis,
Cernitur in populo gloria tanta ſuo.
Ipſe preces audit miſerorum & uota precantum,
Idq; ſciat populus poſteritasq; legat.
Reſpicit e cœlo Deus omnia climata terræ,
Audiat ut gemitus unicuiq; dura leuet.
Vt nomen Domini modulentur in arce Sionis,
In Solymis cantent carmina læta iugis,
Turbæ ubi conuenient populi regumq; daturi
Deuoti aſtrifero uota precesq; Deo.
Abſtulit omne mihi robur, uitæ abſtulit annos,
Hinc dixi ætatis ne rape luſtra meæ.
Principio omnipotens cœlos terramq; creaſti,
Cuncta ſed attalici tegminis inſtar erunt.
Tu Deus æternum perſtas, tu ſemper es idem,
Tu ſine principio es, tu ſine fine manes.
Pignora ſeruorum durabunt chara tuorum,
Semen & illorum te duce ſoſpes erit.

PSALMVS SEXTVS.

DE PROFVNDIS CLAmaui ad te Domine.

AD te ſumme Deus triſtes effundo querelas,
De puteo mortis de Stygioq; lacu.

Audi quæſo meos gemitus lachrimasq; preceſq;,
Inueniant aures carmina mœſta tuas.
Si petis ex æquo noſtros trutinare reatus,
Quis coram tanto uindice mundus erit?
Tu pius & culpam metuentibus abluis omnem
Quiq; tuum nomen nunc reuerenter habent.
Te meus expectat, te poſcit ſpiritus, in te
Spes mea, tu uerbo uita ſalusq; mihi.
Expectant uigiles te patrem ſemper ocelli,
Protege ob id famulum pro pietate tuum.
Speret in excelſum nunc credula turba parentem,
Crimina qui gnati noſtra cruore ſanat.
Ipſe ſuum redimens abluta ſorde popellum
Poſt mortem æthereis inuehet ipſe choris.

PSALMVS SEPTIMVS.

DOMINE EXAVDI ORAtionem meam.

Audi ſumme Deus, fidei ſeruator & æqui,
Aure meas facili ſuſcipe quæſo preces.
Non in iudicium cum peccatoribus intres,
Nemo etenim ſub te iudice iuſtus erit.
Mille mihi inſidias truculentus conſtruit hoſtis,
Et perdit uitæ tempora cuncta meæ.
Me ferus in tenebras poſt uulnera ſæua locauit,
Mundus ut in foueam corpora functa locat.

Anxia

Anxia mens in me torpet mœrore ſepulta,
    In me turbatum eſt pectus adusq; meum.
In mentem reuoco ueterum pia geſta dierum,
    Semper de factis eſt mihi ſermo tuis.
Ad te tendo meas ſyncero pectore palmas,
    Te ſitio, ut pluuias arida terra ſitit.
Ocyus omnipotens audi mea uota precesq;,
    Deficit in uotis ſpiritus ipſe meis.
Non abſconde tuam faciem, ne forte uidebor
    His ſimilis uaſtum qui ſubire lacum.
Fac tua ſancta mihi bonitas in tempore ſpiret,
    Namq; in te poſui ſpemq; fidemq; meam.
Qua gradior tu pande uiam, tu dirige callem,
    Præſidium poſcunt languida membra tuum.
Eripe me à fœdis Deus hoſtibus inſidijsq;,
    Ad te confugio, tu mihi uita, ſalus.
Me Deus erudi quæ ſit tua ſancta uoluntas,
    Nam pius es toto ſolus in orbe Deus.
Spiritus ille tuus me ducat itinere recto,
    Vt tecum æthereis perfruar ipſe choris.
Me recrea propter tua nomina ſancta miſellum,
    Iuſte parens animam protege quæſo meam.
In bonitate tua cunctos diſperde malignos,
    Namq; tui ſerui iura ſalutis habes.

NE REMINISCARIS DOMI-
ne delicta noſtra uel parentum &c.

SI quid peccatum eſt per nos noſtroſq; parentes,
Tu Deus omnipotens immemor eſſe uelis.
Sed neque uindictam ſumas de crimine noſtro,
Nemo etenim ſub te iudice ſaluus erit.
Parce tuo populo, Chriſti quem ſanguine purgas,
Hunc facias ſacro uiuere in Elyſio.

MEDIA VITA IN MORTE SV-
mus. Quem quærimus adiutorem &c.

HEi ſumus in media ſupremo in funere uita,
Vnde ſalus nobis niſi per te Chriſte petēda eſt.
Qui modo ſuccenſes noſtro pro crimine iuſte.
Sancte Deus, fortis, mitis ſaluator Hieſu,
Eripe nos miſeros mortis diſcrimine ab omni.

Inferni rictus nos urget mortis in hora,
Vnde ſalus nobis niſi per te Chriſte petenda eſt?
Quem noſtræ tangunt immenſa pericula uitæ
Sancte Deus, fortis, mitis, ſaluator Hieſu,
Eripe nos miſeros rapido phlegetontis ab igne.
(auerni.

Nos peccata premunt media inter tormina
Vnde ſalus nobis niſi per te Chriſte petenda eſt?
Qui proprio noſtras purgaſti ſanguine culpas.

Sancte Deus, fortis, mitis, Saluator Hieſu
Ne ſine nos ueræ fidei à ſolamine labi.

DOMINE NON SECVN-
dum peccata noſtra &c.

O Deus omnipotens, cœli terræq; creator
Cuius ad imperium machina tota tremit,
Non pro delictis tormenta immittito noſtris,
Sed bona pro noſtris redde benigne malis.
Si quid peccatum eſt olim, pietate paterna
Ablue, tu ſolus tergere cuncta potes.
Fac age præueniant tua nos clementia ſancta,
Nam ſatis adflicti nos tua turba ſumus.
Fer ſaluator opem, populo ſuccurre iacenti,
Vt poßit nomen concelebrare tuum.
Parce precor culpis, tu noſtra piacula dele,
Et facias noſtra ut ſint rata uota Deus.

ORATIO.

PROTECTOR IN TE
ſperantium &c.

Sancte parens in te ſperantium uita ſalusq;
Et cuſtos plebis ſpesq; decusq; tuæ,
Quo ſine nil ualidum, nil ſanctũ permanet unquam,
Imple tu nobis cum pietate fidem,
Vt duce te mundi commertia uana peroſi,
Intret in æternas ſpiritus ipſe domos.

DEVS A' QVO SAN-
cta deſideria &c.

QVi dator es pacis, cuſtos, rex Chriſte et amator,
Qui potes optatæ ferre ſalutis opem,
A cunctis defende tuos turbisq; malisq;
Vt duce te hoſtilis ſint procul arma uiri.

VRE IGNE SANCTI
ſpiritus renes &c.

VRe tui ſancto diuini numinis igne,
Et renes noſtros cordaq; noſtra Deus,
Vt tibi & integro placeamus corpore ſemper,
Et mens in cultu caſta ſit uſq; tuo.

AMEN.

LIPSIAE APVD IACOBVM
BERVVALDVM.
ANNO
M. D. XLI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0018-8

Septem principes Electores, his ver-
siculis comprehenduntur, quorum prio-
res Ecclesiastici, Cæteri vero politi-
ci sunt.

Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis
Atque palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus,
Romanum regem, statuunt, dant tibi legem.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0021-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0022-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0023-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0025-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0026-2

Cl 1194

X 2203182

66.

M.C.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0031-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0032-6

G 13768

SEPTEM PSALMI, QVOS POENITENTIALES uocant, In uerſiculos coniecti.

AVTORE IOAN. Spangenbergo.

LIPSIAE
M. D. XLI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155407-p0033-1